

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1725

Auteur(s) : Robert de Barc [particulier]

Bénéficiaire(s) : Beaumont-le-Roger, Sainte-Trinité, dépendance Le Bec (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1263, octobre

Lieu d'émission : Barc

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Robert, de Barc, et Isabelle, sa femme, vendent, moyennant 40 livres tournois, la moitié d'un manoir, sis à Barc, avec le pourpris adjacent ; la femme renonce à ses droits.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Deville Étienne, *Cartulaire de l'église de la Sainte-Trinité de Beaumont-le-Roger*, Paris, Champion, 1912, n° LXVIII, p. 57-58.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus, presentibus et futuris, quod ego Robertus, de parrochia de Barco, et Ysabellis, uxor mea, communi assensu, pro necessitate nostra, vendidimus, concessimus et omnino dimisimus viris religiosis priori et conventui Sancte Trinitatis de Bellomonte Rogeri, pro quadraginta libris Turonensibus, quas ab eisdem pre manibus recepimus in pecunia numerata, de quibus nos tenuimus et tenemus pro pagatis, renunciantes exceptioni non numerate pecunie, non tradite, non solute, dimidiam tocius manerii nostri, quod habebamus in dicta parrochia, cum porprio et terra per retro ad dictum dimidium manerium pertinentibus, situm inter tenementum Symonis de Puteo, ex una parte, et tenementum Ricardi Gieles, ex altera, sicut se proportat in longum et latum a parte tenementi dicti Symonis, secundum divisionem parcium factam inter me et fratres meos Johannem et Radulfum de dicto manerio cum pertinentiis, quorum partem, a parte tenementi Ricardi Gieles sitam, michi et heredibus meis retinui per escambium eisdem alibi factum ; tenendum et habendum et imperpetuum jure hereditatis possidendum dictum dimidium tocius manerii, cum pertinentiis, a parte dicti Symonis situm, bene et in pace et libere, quietum et liberum de omnibus, tam de redditu inde annuatim debito, quam de emenda, si acciderit, et aliis quibuscumque redevanciis, de quibus nos dicti Robertus et Ysabellis et heredes nostri tenemur dictum dimidium prefatis religiosis venditum acquitare omnino sumptibus nostris erga dominum regem et alios quoscumque super aliud dimidium nobis, ut predictum est, retentum, cum libertatibus ad dictum manerium pertinentibus. Tenemur etiam nos et heredes nostri dictis religiosis predictum dimidium manerii, cum pertinentiis, liberare et garantizare contra omnes, ut predictum est, vel in alio nobis retento, si necesse fuerit, valore ad valorem, ad voluntatem eorumdem religiosorum, escambiare, et omnes sumptus, quos in emendatione illius posuerint, ad simplex dictum eorum pre omnibus sine exceptione restaurare, obligantes pro omnibus et singulis predicti nos et heredes nostros et dictum dimidium nobis retentum, cum libertatibus predictis, necnon et totum aliud hereditagium nostrum ubicumque sit, et omnia mobilia nostra, ita quod de omnibus hiis nichil vendere alibi vel quocumque modo obligare aut alienare possimus quin omnia et singula dictis remaneant, ut predictum est, obligata religiosis ; volentes et concedentes quod officialis

Ebroicensis, qui pro tempore fuerit, nos et heredes nostros ad hec omnia et singula firmiter observanda per censuram ecclesiasticam et quocunque alio genere compulsionis, unica monitione premissa, compellat. Ego autem dicta Ysabellis, uxor predicti Roberti, spontanea voluntate, non coacta, tactis sacrosanctis, juravi me nunquam de cetero contra predicta vel aliquid predictorum venturam, nec aliquid in eis reclamaturam ratione dotis seu dotalicii aut maritagii, sive quacunque alia ratione michi competenti aut competitore, quibus omnibus voluntarie et expresse renunciavi. In testimonium autem et confirmationem omnium premissorum, nos dicti Robertus et Ysabellis presentem cartam sigillorum nostrorum munimine roboravimus. Actum anno M° CC° LX° tercio, mensi Octobri, teste : parrochia de Barco.